

† **R. P. Carolus Sipp (1865-1940)**

*(Prov. Argentor.)*

† **R. P. Carolus Sipp (1865-1940)**

*(Prov. Argentor.)*

Die 26 Oct. 1940 in vetusta domo Montis Episcopalis (*Bischenberg*) in osculo Domini quievit Instituti sodalis, in quo vocatio redemptoristica habuerat notam haud ordinariam; quinquagesimum enim quintum annum agebat sacerdos saecularis, Dr. rerum politicarum, in sua dioecesi magnae famae Carolus Sipp, cum humiliter petiit ut in Alfonsianam familiam, pariter ac quattuor fratres iuniores, adoptaretur.

Quidam eximius in lyceo Colmarensi professor mathematicorum quondam dixisse fertur se annis sui magisterii non esse plene intellectum nisi a duobus discipulis; et eorum unum, proh dolor! postea evasisse fabrum ferrarium! Hic faber fuit pater Caroli. Cuius indolis ipse eiusque uxor fuerint, facile inde dignoscitur quod quattuor eius filii mortui sunt sacerdotes nostrae Congregationis, scil. Georgius 22 Dec. 1920 in Bolivia<sup>1</sup>, ibidem Iosephus 5 Mart. 1933<sup>2</sup>, Ludovicus 15 Ian. 1942 Tolosae, Carolus die et loco supra indicatis. Quintus filius Alfonsus praematura, et sancta morte terrae ereptus est in iuvenatu Uvrier. Etiam duae filiae emiserant vota religionis, una in Instituto missionali et mortua in longinqua insula Oceaniae, altera in Ordine S. Dominici. Sextus filius, ipse pater octo filiorum, a. 1916 cecidit victima belli.

Cum filius natu maximus putaretur postea artem patris exercitaturus, Carolus in lyceo urbis suae natalis studebat disciplinis « realibus », non humanisticis; fecit etiam, ut alii adolescentes, suam peregrinationem per varias regiones et a. 1885 per decem hebdomades fuit miles. Postea iterum occupabatur in officina patris; sed quodam die fratris Ludovici, qui classica studia in gymnasio peregerat, adiutorium efflagitavit pro addiscenda lingua latina, omni sacerdoti necessaria, et quidem, ne quid parentes rescirent, instrui volebat summo mane, ante horam 5, qua cum ceteris in officina fabрили operam suam mechanicam incipere debebat. Tam diligenter his studiis vacavit, ut autumnus a. 1887 ad Seminarium maius Argentinense admitteretur. Sacerdotio auctus est post quinquennium.

Ex hoc tempore tota eius vita Deo et Ecclesiae servitio et animabus dicata erat. Post paucos menses in cura paroeciali transactos evasisit diurnarius, vulgo *journaliste*; condidit enim una cum sacerdote altero quondam ephemeridem catholicam et postea, obediens suo Superiori ecclesiastico, aliam maiorem moderabatur. Quibus a. 1897 a Gubernio suppressis, coepit Universitatem Argentoratensem frequentare, renuntiatus post aliquot annos Dr. rerum politicarum (*Staatsökonomie*), qui titulus et quae scientia ei postea magnae fuere utilitati, praesertim cum ab Episcopo suo nominatus esset Secretarius generalis omnium associationum masculini sexus. Pauci sciunt, quam ingens laboris pensum qua talis per multos annos persolverit. Edebat quoque ipse folia periodica *Katholisches Vereinsblatt*.

Exeunte a. 1919 statum perfectionis elegit in nostra familia, et primam professionem fecit 8 Maii 1920. Etiam qua Redemptorista apostolatuum calami associavit apostolatu verbi, praesertim moderans per saltem duodecim annos folia matrum christianarum *Sankt Anna-Blatt*, et quidem

<sup>1</sup> Cf. P. HENLÉ, *Lebensbilder* (1937), p. 175-182; *Figures* (1947), p. 88-95.

<sup>2</sup> Ibid. p. 270-277 vel p. 188-194.

cum insigni proventu<sup>1</sup>. Tandem, cum tremula manus calamus regere amplius non posset, actuosus vir forti animo longam suam Viam Crucis ingressus est. Cum ultimum exarsit bellum, fugit in peregrinam terram. Post duodecim menses reversus in patriam, ibi reperit tam desideratam suae Viae Crucis « stationem XII ». Toties P. Carolus Sipp senex suspiraverat: *Veni, Domine Iesu!*<sup>2</sup>. Iesus illo d. 26 Oct. 1940 venit ad suum servum bonum et fidelem morte tranquilla, eumque, ut pie creditur, super multa constituens, iussit intrare in gaudium Domini sui.

<sup>1</sup> P. HENLÉ, *Lebensbilder*, p. 15.

<sup>2</sup> Apc. 22, 20.

---

*Qui non novit missiones per propriam experientiam neque in eis sacramentum poenitentiae ipse administravit, intelligere nequit, quantus sit earum fructus.*

(S. ALF., *Riflessioni utili ai Vescovi*, c. II, § 5).